DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS mane diſcutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis vigeſimo-nono menſis Januarii, anno Domini M. DCC. L.

M. HUGONE CAPET, Doctore Medico, Præſide.

An ſectione præſertim, curanda Ani Fiſtula?

I.

VIR probus, mederi ſciens, non ex uno eodemque penu ſua mutuatur præſidia. Illi robur & armentarium triplex: Diæta, Pharmacia, Chirurgia; quibus *Therapeutice*, *Pathologiæ* pars ultima, continetur. Vario fidium genere inſtructum decet arcum in manu Sapientis. Diætam, uſui ſex rerum, quas *non naturales* vocant, adhibet Medicus. Pharmaciam; eligendis, componendis, adminiſtrandiſque medicamentis jubet inſervire. Chirurgiam, *manualem* illam & Medicinæ miniſtram, tumoribus, vulneribus, ulceribus, &c. admoveri, pro ſuo munere præſcribit. Duplex igitur Chirurgia: alia Medica, quæ ſolius eſt Medici; & *Inſtrumentalis* alia, cujus exercitium Chirurgo non ita committitur, ut ad Medicum quoquè non pertineat. Hæc, in ſolidis hæret corporis partibus; illa, fluidarum etiam *craſim* conſervat, mutat, reſtituit. Hæc, quæ præter naturam ſeparantur conjungendo; quæ perperàm conjunguntur ſeparando, quæ redundant detrahendo, partes adimplet ſuas; illa, tota eſt in diſcutiendis, reſolvendis, alterandis vitiatis humoribus; in ſolidis *adſtringendis*, *emolliendis*, *mundandis*, roborandis; præſertimque in deſignandis, opportunis ad hæc ritè præſtanda, modis atque temporibus. Ad hanc, ſpectat inſtrumentorum & remediorum exteriorum applicatio *manualis*; illius eſt, victûs rationem indicare; nec-non interna, quæ Pharmacopœus exhibet; & externa, quæ Chirurgus admovet, medicamenta imperare. Hinc conjice, quàm Chirurgia-Medica, ſit *Inſtrumentali* neceſſaria! Patet ſat amplus Chirurgo campus, in quo ſuam cum laude Artem exerceat. Quantam in manibus agilitatem dexteritatemvè, quantam animi conſtantiam, quot & quàm crebrò repetitos operandi habitus Chirurgo ineſſe oporteat, norunt qui Chirurgorum nomen, Chirurgicâ ſagacitate & induſtriâ, multò latiùs patere, damno ſuo compererunt. Opus quamobrem Chirurgicum temerè non ſuſcipiat Artifex. Nullum aggrediatur (modò per ipſum liceat) niſi præſente Medico, probante, & conſiliis mentem dubiam, pro re natâ, manumque firmante. Ab amabili nec interruptâ Chirurgi ſimul & Medici conſpiratione, quid non expectandum boni? Mutuo utriuſque veluti concentu, ea mehercle ſeligetur curandi ratio, quæ citiùs, tutiùs, & moleſtè minùs inſtituitur, procedit, abſolvitur.

II.

DUCTUS *Inteſtinalis* pars extrema & infima, quæ diductas inter *Nates* rugoſa deprehenditur, Podicem vel Anum conſtituit. Exterius hoc orificium *Recti*, ſic à naturâ comparatur, ut, præter voluntatis imperium, nihil ex alvo ſinat effluere.

Nonnullis interim, extrà conſuetudinem minimè perforatur, quibus aperiendum *forfice* venit. Inſciis Parentibus, exitu fæcum hunc in modum impedito, vita quot recèns Natis erepta? Diverſi motuum generis Anus eſt capax. *Muſcularis* partim, partim & *membranaceus*: nunc dilatatur vel relaxatur; modò contrahitur vel coarctatur. Jam *elongatur* aut diſtenditur; mox *abbreviatur* aut reſtituitur. Peculiares tamen, quos habet, Muſculi, huic vel retinendo, vel conſtringendo potiſſimùm inſerviunt; & quinque numerantur. Horum duo dicuntur *Levatores*, quòd in ejectione durâ ſuſtineant Anum, vetentque, ne de ſede naturali ſuâ dimoveatur hic, & foris excidat. Talis Ani *Procidentia* frequentior eſt pueris, quibus blandè reponendus, litu prævio, cùm ſpongiâ & *adſtringente* fotu continendus. Tres alii Podicis Muſculi, *Sphincterem* ejus componunt, & ſtrictè adeò claudunt oſtium, ut injuſſa excrementa non poſſint elabi. Quòd verò relaxetur, dilatetur ac diſtendatur Anus, illud non tam ſupra-memoratis Muſculis, quàm ipſis-met excrementis referendum. Fæces nempè certâ copiâ, certâque morâ in *Recto* nequeunt colligi, quin fugam citò meditentur. Jam gravitate, duritie, ſiccitate & acrimoniâ, quas, craſſorum inteſtinorum longitudinem ad Anum uſque præterlabentes, ſenſim contraxerunt, multiformes *Recti* fibras irritando, naturalem, at paulò moleſtam, alvi exonerandæ cupiditatem excitant. Urgente mox neceſſitate, vehemens & ſpontanea fit *inſpiratio*, *Abdominis* imminuitur capacitas, in anguſtum *Pelvis* redigitur; fæces Ano viciniores, magis ac magis compreſſæ, à ſubſequentibus ejuſdem naturæ moleculis urgentur ulteriùs, & ita propelluntur, ut, *Sphincteris* reſiſtentiam ſuperando, relaxent Anum, oſculum aperiant, ac tandem ſub ſtercoris nomine foras eliminentur. Sic mechanica peragitur alvi dejectio: functio quidem naturalis; at infinitis propemodùm læſionibus obnoxia. Quoties enim ob vitia quædam, Ventriculo pariter & Inteſtinis communia, vel depravatur, vel omninò aboletur? Num indicant aliud *Lienteria*, Affectio *Cœliaca*, *Diarrhœa*, *Dyſenteria*, *Ileus*? Quot præterea modis hæc eadem intercipi, imminui, aut perturbari valet, à præcipuis aliquot vel *Recti*, vel Ani, vel partium circumſtantium affectibus: quales habentur *Hæmorroides*, *Teneſmus*, Inflammationes variæ, Tumores diſtincti, & ſpeciei diſſimilis ulcera, in Fiſtulas quandoquè abeuntia? Anum ergò ſi devaſtaret Fiſtula, quis tempeſtivam ac certiorem medendi viam inire dubitaret?

III.

QUEMADMODUM ab Equitatione & Seſſione durâ, *Teneſmo*, cæcis *Hæmorrhoidibus*: Ani partiumque adjacentium dolor & inflammatio; ſic ab earumdem inflammatione Abſceſſus, Ulcus ab Abſceſſu, ab Ulcere Fiſtula ſæpè trahunt originem. Quid reapsè Fiſtula? Ulcus durum, *calloſum* & *ſinuoſum*, quod ab interiori & latiori fundo procedens, exteriori & anguſtiori terminatur ore: per quod identidem *Pus* acre, aut *virulentum* emittitur. Id morbi genus, multas licet corporis partes afficere queat, in Ano tamen ejuſvè confinibus, ob loci naturam & ſitum, frequentiores agit radices. Ex his, inæquali progreſſu deſinentibus, triplex potiſſimùm emergit Ani Fiſtularum diſcrimen. Vel enim in *Recti* cavum aperitur Fiſtula; foris occluſa; vel illæſo Inteſtino, Ani margines aut ejus vicinias tantùm perforat; vel utrinquè patens, cutem ſimul & *Rectum* pervadit. Hæc vulgò completa; illæ, ſimplices & cæcæ nuncupantur. Quævis autem, in plures anfractus aut ſinus, longè latèque interdùm ſeſe diffundit. Ad *Recti* cavum quæ aperitur, foras occluſa: tumore quodam ſe prodit, ut plurimùm, externo, doloris inflammationis-vè participe; *Puſque* ex eâ, vel antè primam, vel poſt ultimam alvum, vel unà cum fæcibus, ipſis etſi non confuſum, effluit. Quæ, ſano ſuperſtite Inteſtino, Ani margines, aut ejus confinia ſolùm permeat, viſûs beneficio facilè animadvertitur. Completa demùm, quæ *Rectum* æqualiter & cutem perfodit, non per ſigna modò ſimplicibus communia, verùm etiam *Puris* & flatuum egreſſu ſe manifeſtam præbet. Omnes interim Fiſtularum Ani ſpecies nuſquàm certiùs, quàm digito & ſpecillo exploratæ, dignoſcuntur. De-

tectis penitùs ac planè perſpectis Fiſtularum Ani ſede, naturâ, progreſſu, cuniculis & hiatibus, quidni legitima earumdem inſtitueretur *Prognoſis?* Quidni opportuna eligeretur Curatio? Expedita eſt Medicina, cùm id vitium, ſimplex atque recens, intrà carnes & Muſculos conſiſtit; in juvene, quàm in ſene facilior. Vetuſtior Fiſtula, ſicut & profundior quæ ad *Iſchium*, Os ſacrum, veſicam, ejus collum, aut *proſtatas* pertingit, arte nullâ ſanabilis: curam, ſi aliquam, *palliativam* efflagitat. Quæ verò altè non penetrat & ſerpit ſub cutem; vel altè penetrando, non longiùs à Podice recedit; ea, ut inciſioni, ſic & ſanationi tantùm idonea. Fiſtularum quippè Ani *Therapeia*, quænam alia, ſectione, præſtantior? An alia celerior? Quæ jucundior?

I V.

PRO Fiſtularum Ani diſcrimine, curationem, ſectionem-vè illarum ratione diſpari adoriendam quis non fatebitur? Et 1°. Ani Fiſtulæ, ſi conjungatur hæc *Scorbuto*, lui *Venereæ*, *Scrophulis*, aut alteri pravæ ſanguinis *Diatheſi*, non celebretur priùs inciſio, quàm apta cuique affectui remedia fuerint vel exhibita, vel admota. 2°. *Therapeiæ* cuilibet, pro viribus ægroti, ritè præmittantur venæ-ſectio & *catharſis*. 3°. Præſto ſint ad manum Opificis, & probè diſponantur omnia, ad primum, ut aiunt, apparatum idonea. 4°. Ventre à fæcibus, *clyſteris* ope, ultimùm *expurgato*: capite declivis, pronus in *Abdomen*; *clunibus* paululùm elevatis; diductiſque cruribus, &, miniſtrorum manibus, firmiter apprehenſis, in lecti margine decumbat Æger. 5°. Si Fiſtula, non interiori minùs, quàm exteriori pateat orificio, pertuſis utrinquè ſimul Inteſtino & cute: Chirurgus, ſiniſtræ manûs indice digito, oleo priùs illito, in Anum immiſſo, dextrâ ſtylum accipiat, quem, per Fiſtulæ foramen exterius introductum, digitoque in Anum inducto apprehenſum inflectat, foraſque per Anum adducat; quo tandem, Anſæ in modum, efformato vel incurvato, non ſolùm quidquid comprehenſum eſt, verùm etiam paulò ulterius, vel forcipe, vel ſcalpello incurvo reſcinditur. 6°. Fiſtulæ orificium ſi tantùm fuerit exterius, in id adacto perfodiatur Inteſtinum ſtylo, quo per Anum retracto, prioris in modum præcidatur Fiſtula, 7°. In *Recti* cavum ſi Fiſtula ſolummodò aperiatur, foris occluſa, & aliquis tumor adfuerit externus, ad quem pergere Fiſtulæ fundum conjiciatur, is præcipuè incidatur locus, quâ inciſionis viâ ſtylus per Podicem ſubtrahi poſſit, & eo, quod jam deſcriptum eſt, artificio tota Fiſtulæ cavitas denudari. 8°. Si neque circà Anum tumor, rubor, durities, aut aliud cutis vitium, Fiſtulæ profunditatis index, conſpiciatur, ſtylus inflexus in Anum, ſi liceat, impellatur: quo, ad Fiſtulæ fundum, per Inteſtini vulnus intromiſſo, ſuprà hujus extremitatem ſectio fiat, per quam adducto ſtylo, quidquid ab eo complexum retinebitur, methodo ſupradictâ reſecetur. 9°. Fiſtulis Ani quibuſcumque apertis, ſinus earum inciſione perſequendi; excidendæ habenulæ, cavendo ne arteriæ dividantur; ſcalpello callum auferendum. 10°. Propriis Fiſtulæ characteribus ita deletis, ut ad ſimplicis ulceris, aut vulneris conditionem hæc redacta videatur, vulnus linamento carpto ſicco, vel etiam vitellis ovorum nonnunquàm imbuto impleatur. Imponatur poſteà *Emplaſtrum* conveniens; *Splenium* ſuperaddatur *longitudinale*; quadratum ex ordine alterum adjiciatur: quæ omnia firmentur Faſciâ, ad id paratâ; cujus, parte unâ corpori circumdatâ, duo pendentia ex eo capita, per femora ad eamdem adducta, alligentur. His denique peractis, Æger collocetur in lecto, & idonea curationi diæta præſcribatur. Sic abſque ullo recidivæ metu, cuivis Ani Fiſtulæ, ſalutaris, prompta & ſuavis adhibebitur medicina.

V.

JAM-NUNC *Uſtionem* laudent alii; jam-nunc alii prædicent *Ligaturam*. Quid ita? Num idcircò ſanandæ Ani Fiſtulæ, accommodatior, felicior-vè utriuſque uſus? An miſerum acerbum-vè minùs utriuſque præconium? Abſit. *Uſtio* rejicienda prorſùs, præ crudelitate. *Uſtio* non dira tantùm & dura, ſed etiam inutilis. *Cauſtici* medicamenti vim aut noxas quis ad arbitrium novit præcavere vel compeſcere? Decidente *Eſcharâ*, quam ipſa inducit *Uſtio*, cum doloribus atrociſſimis, *hæmorrhagiæ*, callus, durities,

ulcus-vè refricantur. Ab hujuſmodi cruciatibus quoties excitantur vigiliæ, febres, *phlegmones*, *convulſiones* ac *deliria*, quæ tandem brevi ſubſequitur interitus? *Ligatura*, quanquàm ſæva minùs, non minùs repudianda. Diuturnior ejus adminiſtratio, eò periculoſior. Hæc, niſi repetitis, & quidem gradatim, pluribus fili aut ſetæ vinculis, perfici nequit. Conſtricta filo vaſa ſi fortè dilacerentur aut exſcindantur omninò; filæ ipſa ſi diſrumpantur aut remittant, quid non eveniet damni? Vinculis ac *deligationi* erit ſuperſedendum, ut *hæmorrhagiæ* ſuccurratur: ulcus, priore pejus, recrudeſcet. Renovanda proindè in utroque caſu *Ligatura*; cujus interim adminiculo, nec ſinus, ſi aliqui occurrant, aperientur: nec habenulæ, ſi quæ ſuperſint, delebuntur. At ecce regerunt nonnulli: Eſto ſua ſint *Uſtioni* pericula! Sua ſint incommoda *Ligaturæ!* Quorsùm ſectioni non anteponuntur *Vulneraria*, *Balſamica*, aliaque id genus auxilia, quibus Fiſtulas abſque inciſione ſanatas jactant glorioſiùs? Præpoſtera ſanè commendatio! Laus frigida quidem, & inventa callidiùs ab *Agyrtis*, qui, ſuam fraudulenter interpretando curationem, ſimplicibus Ani ulceribus Fiſtularum nomen tribuerunt, nubem pro JUNONE credulis ægris imponentes! Ergo-nè, reclamant adhuc, ſine ſcalpello, forficibus, ſimilibus-vè ferramentis nulla curari poſſet Ani Fiſtula? Sectionem nonne ſæpiùs comitantur dolores infenſiſſimi, interdùm *hæmorrhagiæ*, vel ipſa mors excipit? Quid inde? Breviſſimi ſunt dolores illi: *hæmorrhagiæ* levi ſedantur negotio; morſque, ſi unquam obreperit, non ſectioni per ſe & *abſolutè*, ut loquuntur; ſed per *accidens* tantùm, vel etiam Artificis imperitiæ, adſcribenda. Et profectò, ut medeatur Ani Fiſtulæ, duo maximè requiruntur: unum, partes ut conſerventur ſanæ; alterum, ut morboſæ dirimantur. Quâ porrò induſtriâ: quânam arte tutiùs, quàm per ſectionem, Chirurgus hæc poterit exequi? Numquid ſectionis beneficio, ſic à peritâ manu dirigitur ferrum, ſic manus ab eruditis oculis, à mente docili, Medici conſilio adjutâ; cuncta ſic diſponuntur, vt quidquid ad *Diæreſim*, *Exæreſim* & *Syntheſim*, Fiſtulæ Ani profligandæ conſecratas attinet, ab hâc armaturâ faciliùs pleniùs-vè, quàm ab aliâ quâlibet, impleatur.

Ergò ſectione præſertim, curanda Ani Fiſtula.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes-Franciſcus Iſez.

M. Petrus-Joſephus Macquer, Regiæ Scientiarum Academiæ Socius.

M. Joannes-Claudius-Adrianus Helvetius, Regi à Sanctioribus Conſiliis, Reginæque Medicus Primarius, & Regiæ Scientiarum Academiæ Socius.

M. Carolus-Franciſcus Boutigny des Preaux.

M. Joſephus-Maria-Franciſcus de la Sône, Cenſor Regius, & Regiæ Scientiarum Academiæ Socius.

M. Jacobus-Benignus Winſlow, Cenſor Regius, Regiæ Scientiarum Academiæ, Regiæque Societatis Londinenſis Socius, Teutonicæ Linguæ Regius Interpres, & in Horto Regio Anatomes & Chirurgiæ Profeſſor.

M. Petrus Lalouette.

M. Julianus Buſſon.

M. Antonius Pepin, Regis Conſiliarius & in Portu Breſtenſi Medicus Primarius.

Proponebat Pariſiis LUDOVICUS-ALEXANDER GERVAISE, Ambianenſis, Doctor Medicus Remenſis, necnon Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, A. R. S. H. 1750, à ſexta ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1750.